



# Vitæ D. N. Iesv Christi Monotessaron Evangelicum

Heser, Georg

Monachii, 1657

333. Christus, quos sermones inter se conferant, exquiri.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56533)

## MEDITATIO CCCXXXIII.

*Christus, quos sermones inter se conferrant, exquirat.*

I. **A**IT IESUS ad illos: Qui sunt hi sermones, quos confertis ad invicem ambulantes, & estis tristes? Et respondens unus, cui nomen Cleophas, dixit ei: Tu solus peregrinus es in Ierusalem, & non cognovisti, quæ facta sunt in illa his diebus? *LUC. 24. v. 17. & 18.*

II. Quibus ille dixit: Quæ? Et dixerunt: De IESU Nazareno, qui fuit vir propheta, potens in opere & sermone, coram DEO & OMNI populo: & quomodo eum tradiderunt summi Sacerdotes & principes nostri in damnationem mortis, & crucifixerunt eum. Nos autem sperabamus, quia ipse esset redempturus Israël: & nunc super hæc omnia tertia dies est hodie, quod hæc facta sunt. *LUC. 24. Vers. 19. 20. 21.*

III. Sed & mulieres quædam ex nostris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum. Et non invento corpore eius, venerunt, dicentes, se etiam visionem Angelorum vidisse, qui dicunt eum vivere. Et abierunt quidam ex nostris ad monumen-

**tum,**

tum, & ita invenerunt, sicut mulieres dixerunt, ipsum verò non invenerunt, *Luc. 24. Vers. 22, 23, 24.*

### MEDITATIO CCCXXXIV.

*Christus corripit incredulos,  
atque instruit.*

I. **E**T ipse (Iesus) dixit ad eos: O stulti, & tardi corde ad credendum, in omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ! Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? *Luc. 24. V. 25. & 26.*

II. Et incipiens à Moysè, & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipso erant. *Luc. 24. V. 27.*

III. Et appropinquaverunt castello, quò ibant: & ipse se finxit longius ire. Et cœgerunt illum, dicentes: Mane nobiscum, quoniam advesperascit, & inclinata est jam dies. Et intravit cum illis, *Luc. 24. V. 28. & 29.*

### MEDITATIO CCCXXXV.

*Christus agnoscitur in fractione panis.*

I. **E**T factum est, dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis. *Luc. 24. V. 30.*